

aut quid in primis præponendum sit, haud facile intelligo. Velut enim si quis Helenã illam formosissimam eximijs laudibus ornare cupiat: prius ne nobilitatem generis expediet, quòd Ioue, & Læda genita sit: an pulchritudinem, quòd à Venere præ omnibus formosior sit habita: an uirtutem, quòd eleganter canere, & psallere docta fuerit: an ornatu corporis præstare contendat, quòd purpureis, auratisq; segmentis uti assueuerit: an leporem potius loquendi anteponat, quòd ex ore narrantis suauitate quadam allecti penderent homines? Hæc inquam si quis animo uoluerit, quid conuenientius dictu sit, ignoret ad eximiam pulchritudinem uenustatemq; demonstrandam. Sic ipse cum optimam ac pulcherrimã urbem celebrare instituerim, quæ in omni uirtutis genere, laudisq; præstantia cæteras anteeat, unde potissimum exordiar, ignoro. Nam & ipsa uirtutum admiratio incertum me reddit, nec facilem deliberandi facultatem permittit. Ego tamen unde conuenientissimum, & aptissimum putabo, initium capessam. Primum igitur, ut de opum, ac facultatum copia dicere ordiamur, in queis potissimum Reipu. status inniti solet. Vbi nam tu gentium urbem reperias, quæ tanta uectigalium copia abundet: tot exercitus sumptibus suis alat? Memini à uiro audiuisse me quæstorio tot exactas ex hac urbe pe

be pe